

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

EXHIBENS

# MISCELLANEA

nonnullas QUÆSTIONES  
PRACTICAS.

*Adprobante Ampliſſimâ Facultate Philoſophicâ*

P R Æ S I D E

VIRO Plur. Reverendo & Praclariffimo

DN. M. MARTINO MILTOPEO  
Eloquent. ibidem Profefſore publico, utriuſq; Con-  
ſiſtorii Adſefſore & Paſt. in Ditiſ: Præceptore & Pa-  
trono debita animi obſervantia colendo.

*Liberaliſ exercitii gratia publicè propoſita*

â

PETRO JOH. SERLACHIO  
Nyland.

*Octob.*  
In Auditorio maximo die 13 Junij Anno 1677.

A B O Æ

---

Excusa, à PETRO HANSONIO, Acad. Typ.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO,

DN. ERNESTO JOHANNI

Creutz/

Libero Baroni de Casaritz/ Domi-  
no de Adalma/ Siundby & Tammer-  
fors/ &c. &c. Sacrae Regiae Maje-  
statis, Regniq; Sveciae Consilia-  
rio Gravissimo; & supremi Regij  
Judicij in magno Finlandiae Du-  
catu Praesidi Eminentissimo: Nec  
non ita pridem Legato extraordi-  
nario ad Magnum Moscoviae  
Ducem: Domino meo be-  
nignissimo:

---

*Divinam gratiam, omnigenam & corporis & a-  
nima prosperitatem, ab uberrimo salutis fonte  
te Christo Jesu, Domino ac Salvatore nostro  
devotissime roveo & exopto.*



# GENEROSISSIME DOMINE!

**P**ermitte quaeso, Illust. Praeses, ut affectum pietatis plenum paucus evolvam. Et quia ingenui cultum amas maximè ac propagas, aequum est ut animi excelsi & etherae Pietatis admirer dotes, quibus ita felix es, ut cæteris virtutibus majestatem quandam concilies, cui cælum in oculis, in pectore aternitas, infra qua ponis ac despicis, opes, urbes, regiones, & quicquid in terra possidetur; major videlicet his omnibus, quia magnitudinem tuam virtute, virtutem pietate metiris. Certe cum Christi ingenti nomine simus insigniti, illudq; praferamus, juxta tale nomen libenter etiam legi verbum Dei, libenter audis, & mentis sedulitate promovendi studes, idq; sincerè & constanter. Non attingam cætera laudum tuarum praconia, ne in magnum volumen epistola excrescat. Quod Regum & Principum amore & favore excellas, copia virtutum & praclara merita faciunt. Juris quippe & aequi tenax & legum es observantissimus: ad quem omnes, ut ad patrem & protectorem confugiunt; ex merito n. agis nunc severè nunc benignè, prout causarum nexus requirunt; qua tamen verecundius à me commemorari, cum eadem omnes loquantur regiones patriæ & ditto tota Finlandia, satis est. Ob has Reip. curas vix liberum spiritum ducendi Excell: Vestra otium suppeteret, quin indefesso studio Reip. commodis promovendis incumbas, noverunt univ. Etenim si-ve unius, si-ve multorum, si-ve privata, si-ve publica causa sit, ita herclè eandem perscrutaris, ut nihil nisi recti studium, & publicam utilitatem pra te feras. Ac licet natura lenis & perquam humanus sis, magna vocis & cultusq; gravitate, in jure tamen aequoq; & bono servando, ita es si- verus & constans, ut nec spe allici, nec gratia flecti, nec autoritate fraggi, nullius deniq; causa à recto, ne transversum quidem (quod ajunt) unquam dimoveri possis. Testatur hoc clarissimè aula Regia. Testatur Patria univ. versa, qui instar oraculi habuit hactenus, habetq; Excell. Vestra suffragia. Bene auguror, inter clara & aeterna nomina tuere gentis tuae decus,

*patri & praesidium maximum. Huic a. virtuti & natura tam excellenti-  
 raram quandam in omni literarum genere eruditionem adjunxisti, quam  
 etiam sermone arguis cum de omni negotio, tum maximè de temporibus  
 ac rebus civilibus sapienter differis. Tersus es elegans & venustus, in di-  
 cendo, & explicando acutus, copiosus, gravis. Ubi magnum se exserit in-  
 genii lumen, fecunditas memoria, cognitio antiquitatis, recondita doctri-  
 na. Haec a. cum praeclara sint, tum multò ulterius se proferunt in libris,  
 quos privatim scriptos premis, & in forulis tuis ac scriniis clausos tenes. Li-  
 cet n. magnis & multis negotiis occupatissimus sis, domo & familiâ, quae  
 tibi numerosa & ampla contigit regendâ & justitia Praesidis munere admis-  
 nistrando; si quid tamen vacui temporis supersit, id totum legendo, com-  
 mentando & lucubrando transmissis praeclaras animi meditationes consi-  
 gnans. Tantum juvanda patria desiderio flagras, ut non solum tuis ope,  
 operâ, consilio, sed etiam absens mortuus scriptis, exemplo & memoria  
 tui prodesse velis. Non ibo longius in laudes Illust. Nominis vestri, siqui-  
 dem facere non audire CREUTZIORUM est. Cum itaq; tot aliisq;  
 praeclaris Ill: me Praeses fulgeas virtutum praconiis, non frustra clarissimi  
 nominis splendore decoratam, disputationem hanc prodire volui, maximè  
 vero quia rerum istarum imò totius Philosophiae (cujus haec disquisitio pars  
 est) vehementer amantem te & percupidum cognovi. Tum etiam quod  
 multis beneficiis E. & V. & sim devinctus. Equissimum ergo judicavi ali-  
 quod meum grati erga Ex. m. V. m. animi, testimonium publicum quan-  
 tumvis tenue ac exiguum, magis affectu quam pretio suo aestimandum)  
 extare; Quo E. & V. erga me benevolentia & humanitatis recordari,  
 semperq; dum vixero recordaturum testatum faciam. Vel potius ut  
 sine figura iterum dicam, quod magnam huic labori commendationem,  
 ex ipsa nuncupatione, in hujus scripti frontispicio conspecta, apud omnes  
 accessuram puto. Hoc munusculum meum, ut benigne suscipias, cer-  
 nius oro, mansurus donec vixero.*

Illustr. V. & Excellentiae

Cliens Humillimus

PETRUS SERLACHIUS

Auth. & Resp.



I. N. J.  
PROOEMIUM



T ad Cursum Equus, ad arandum Bos, ad indagandum Canis: Sic homo ad duas Res, Intelligendum & agendum, natus est tanquam Immortalis Deus. *Scribit Cic. l. 2. De finibus. Nam insitus ille naturalis appetitus, siquidem apud nos haud omnino vanus & irritus est, dubium non est, quin Sapientiam, virtutem, Eloquentiam, & actiones praclaras, de quibus homo solus maxime gloriatur, anxie desideret atq; in hac arcana inquirat: Vice vero versa ejus honestissima cupiditatis Stimulum, qui aut nullum, aut obtusum saltem habent, solo nomine, externam hominis circumferunt Figuram, Re autem ipsa nihil aliud quam Pecudem, cum ad ea proruant precipites, ad qua bestias caeco impetu duci videmus. Itaq; in interiora ejusmodi honestarum Intelligentiae & actionum adyta euntibus literarum & Philosophia jucundum studium praescribit nobis rationem, qua praeter Artes Instrumentales, complectitur in se disciplinas tum Theoreticas, tum Practicas. Quamobrem visum mihi opera pretium fore, si ex Philosophia ejusmodi spatiose campo, Quaestiones nonnullas Practicas seligerem, easdemq; pro modulo ad ventilandum publice proponerem, ut hac ratione ingenium exercerem. Ac licet leve hoc genus scriptionis sit, suum tamen est lector Ben. Intentioni pia & desiderio proficiendi in studijs favere.*

## Quaestio Prima.

*An Bellum Imperii proferendi causa suscipiendum?*

**G**ravissimus Auctor Salust. in suis fragmentis asserere non dubitat, unam eamq; veterem bellandi causam, profundam Imperij cupidinem esse; Quam sententiam nec temere dixisse

eum, liquet vel exinde, cum hæc ambitio plerorumque animos ita per-  
 strinxit, ut ejus nutu, maria, terræ, pax, bella administrantur. Sic La-  
 cedemonij & Athenienses vicinorum Regiones invasuri, libidinem  
 dominandi causam belli habebant, maximamq; gloriam, in maximo  
 imperio putabant. *Salust. c. 2. Cat.* Sic Alexander Magnus im-  
 modica bellandi cupidine stimulatus, quietos populos & ignotos bel-  
 lo persequutus est, imò ut toto orbe potiretur anxiè laboravit; Unde  
 à Schytharum Duce in quadam oratione graviter taxatur, apud Curt.  
 l. 7. c. 8. Verum nos ab hac sententia ni fallor declinamus. Nam  
 ut ejusmodi bella ordiri facile possint, cæterum ægerrimè finiri, cum  
 sub unius potestate initium & finis difficulter esse nequeant, siqui-  
 dem incipere, id cuivis etiam ignavo licet, claudere victorum tantum  
 est. Sanè extra aliquam necessitatem hic objicimur periculis, cum  
 nihil aliud sit, quam grande latrocinium, quod tam capax omnium  
 est malignitatum, ut à pio quovis viro lerna omnium malorum potius  
 dici possit, quam justum aliquod bellum. Unde Casus: *Inferendo  
 bellum finitimis est cives spoliare, jus naturæ violare, illorum fortunas  
 imminuere & latrocinari, illos occidere, innocentium sanguinem ef-  
 fundere, nec non atrox homicidium perpetrare* Lib. 7. Sp. Civ. 2.  
 Quare etiam apud Lucan. Alex. M. appellatur Orbis terrarum Præ-  
 do, apud Senec. Latro. Deinde illum processum cum pio Augusti-  
 no, prorsus etiam damnamus, quæ contra Faustum, lib. 22. c. 74. ita  
 disputat: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus & im-  
 placabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, hæc sunt quæ  
 in bellis jure culpantur* Tom. 6. p. 432. Nam temere in acie versari  
 & cum hoste configere, immane quiddam & belluarum est. Quod  
 si admittimus, quid aliud quam omnium inter se bella gentium exi-  
 stit, & barbaro ritu, cædes cæde, & sanguinem sanguine expiamus.  
 Ab t, nec unquam Christiani animum pénétrent illæ voces. *In ar-  
 mis jus ferre & omnia fortium virorum esse* Livius l. 5. c. 36. nec si-  
 damus aciem esse, quæ innocentiam approbat, juxta illud Lucani

*Hæc acies victum facturam nocentem est*

(Et si plerumque fatear, eventum belli, veluti æquum Judicem, un-  
 de jus steterit, ei victoriam dare) Sed causam quæ tanquam funda-  
 mentum est, in quo & propter quod bellum geritur. hæc velut Ca-  
 put est bonæ Spei, per quod ad triumphales illas ducimur terras. hoc  
 liceat alluderè.

*Causa*



*Causa jubet superos melior sperare secundos* Lucan.

Et occulta quâdam internâq; vi

*Frangit & attollit, vires in milite Causa,*

*Quæ nisi iusta subest excutit arma pudor* Propert.

Imò ausus est Græcus Poëta scribere :

*Οὐδεις ἐξελείσας ἀδικα, σῶς ἦλθεν πάλιν. i. e.*

*Iniqua bellans bella, Saluus haud redit. Eripit apud Stob.*

Sed ad institutum redeamus, sunt nimirum iniqua illa omnia bella quibus ambitio & avaritia causæ, quam multa ea sunt, nec usquam aut unquam hoc falsum est, illis maximum discrimen imminere, penes quos aurum & opes bellorum causæ sunt, bene igitur Poëta.

*Rupere fœdus impius lucri furor,*

*Et in præceptis. Sen. Hipp. act. 2. v. 138.*

Idem adstruit Demosth. in Oratione contra Aristogit: *Multi sepe numero, dum majora concupiverunt, ea quoq; quæ jam obtinebant amiserunt: Et qui cupiditate acquirendi plura aggrediuntur, & tentant ea, quæ fas non est, maximis difficultatibus implicantur. Conatusq; irritos & spes vanas fortuna deridet atq; frustratur.* Idem confitetur Hanibal apud Livium: *Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus.* Lib. 30. c. 30.

In causis igitur suscipiendi belli primas omnino obtinet, iusta ac necessaria sui suorumq; defensio & rerum bonorumq; conservatio. Defensionem n. adversus vim & impetum aliorum, non tantum leges ac omnia jura permittunt, sed etiam jubent. *Principio, inquit Cicero, i. Off. generi animantium omni est à natura attributū, ut se, vitam corp⁹q; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videantur.* Et in Milon. c. 4. *Hoc ratio Doctis, necessitas Barbaris, & mos Gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnē sempervim, quacūq; ope possent, à corpore, à capite & vita sua propulsarent.* Et infinita ejusmodi alia exempla possent hic adjūgi nisi brevitatis diversum suaderet. Ergo ut rem in pauca contraham, nonnullas causas subjungam, cur propter defensionem & naturæ violatum jus, bellum suscipiatur justum; Quod fit: I. mo *Propter Religionem;* quamquam diffidendum non est; Spirituale bonum armis carnalibus protegi non posse; tamen concedendum crit: cultum sinceræ Religionis ab externis impedimentis debere defendi. Quorsum respicit & dictum illud Ambrosii: *Fortitudo quæ in bello à Barbaris*

ructur patriam, vel domi defendit infirmos à latronibus, plena est *Justitia*. de Offic. 1. 27. II. do Justum suscipitur Bellum propter *Socios & vicinos*; Qui aliquo communitatis vinculo; invicem obstricti sunt, vel quoad Regionem, vel quo ad Religionem. ad hoc n. naturæ lex, quæ ad omnem nos stringit charitatem, invitat. Sic de sociis intellexit Tullius; *Nullum bellum, inquit, à Civitate optimâ suscipitur, nisi aut pro fide, aut pro salute*. Citate Aug. h. 22. Civit. c. 6. III. to *Ut res per vim erepta recuperentur*. IV. to *Uta Contumaces, legum jugum excutientes armis, cum aliter non possint coerceantur*. V. to *Ut illata Injuria vindicentur*. Non n. frustra Magistratus gerit gladium Rom. 13. 14. VI. to *Ut transitus innoxius, qui jure humane societatis debetur præcludatur*. Quibus causis quodcunque bellum destituitur, legitimum vix judicabitur. Unde quoque certo sumus certiores; Singula mala quibus pacatus interim populus obruitur, in auctorem relabi, qui præter harum rationum æquitatem & causis ex levibus bellum excitaverit, Quod testantur omnium temporum annales, clamat experientia, flagitant jura. Quamobrem fugiendum ejusmodi iniquum, nec unquam nisi justum molendum est bellum. Manendum saltem in legitima defensione non tamen sub prætextu aliquo pedem promovendi, ut aliena apprehendantur; quod Romanos fecisse, ingenue fatetur Romani eloquii flos: *Nosser inquit Populus, sociis defendendis, terrarum jam omnis potis est* Cic. 3. de Rep. Male, nec pro exemplo habendi. Hinc jam concludo superaddita hac animadversione, invasionem quoque justam ac licitam, non tamen omnem; illam esse palam: ubi injuriam saltem vindicamus, & jure gentium res repetimus. *Justitie enim hoc primum est munus, ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuriâ*. Cic. 1. de Offic. 7. p. Ubi iterum vidimus exceptionem. Itaque si quis res nostras aut jus rapuit, capienda sunt arma cum ea tamen conditione, ut ex veteri formâ prius mittamus *clarigarum*. i. e. res raptas clarè repetitum. Plin. 22. Nat. hist. c. 2. Etiam hoc superaddo Quod nec læsi justè statim inferimus bellum; Sed cum duo sint deccerandi genera; Unum per *deceptionem* alterum per *Vim*. Cumque illud proprium sit hominis, alterum belluarum, confugiendum est ad posterius, si non liceat uti superiori. Hic itaque illud valet: *Justum bellum quibus necessarium; Spia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur* Res. Livius.



## Quæst. Secunda.

### *An Religionis diversitas in Republica ferenda?*

Ut firmiter homo vestigia sua figat, nec unquam cespitet, fulcris aliquoties indiget atque scipione, quibus constanter innitens corpus maximè senio defatigatum, contra ruinam si imminet sese defendit: Ita magnum Imperii corpus columnâ aliquâ opus habet, quâ fulciatur videlicet, *Religione ac Justitia*, quibus valide subsistens, inconcussus manet, ne quaquaversum ruit. Itaque his columnis firmissimè erit stabilendum. Religionem quatenus quæstionem nostram spectat, brevibus hic loci tractabimus, Justitiam tanquam aliam columnam in aliud tempus reservantes. Illam ergo quod concernit, sincerè colimus rectèque agnoscimus, fundamentum esse totius Reip. cum ejus pœnè virtute universa hominum constet societas, Et sine quâ infelicissimæ sunt Respub. & ejus moderatores. Utrinque enim tam imperii clavû obtinentes, quam obedientiæ partibus inservientes, indissolubili inter se coherent nexu, & firmum Imperio superaddunt fulcrum si non superstitionis animis, si non fidè Religionem conservent, cum nullus Dei cultus sit, qui bene constitutæ Politicæ magis competat, quam eadem infucata Religio Christianorum; Neque quod animum subditorû atq; conscientias melius devinciat, & obsequentiores detineat. Verum, *An diversitas in Rep. & Civitate Religionis sit toleranda?* Pro negativa ejus sententia, non tam ex Logicorum Regulis quam ex carnicum officina adductis argumentis proximè præcedentis seculi decursu pugnatum est. Quæ enim inde dissidiorum faces accensæ sunt, qui bellorum strepitus, animus meminisse horret; Hujus quæstionis decisione, florentissimam Galliam, fertilissimam Angliam, bellicosam Hispaniam, & cultissimam Belgii provinciam, sanguine humano inundata, non sine gemitu intuemur. Absumit hæc quæstio in Gallia intra duorum & viginti annorum spatia, ab Anno 1562. usque ad Annum 84. Quadringenta centum millia variis pœnis & bellorum turbinibus; aliosque infinitos, quos recenset Doct. Siebentahl in sua *Pol. Excer. xiii.* Nec hodie opus est ut recurramus ad exempla ex superiori seculo repetita, cum adhuc ejusdem farinae re-

periantur homines, qui cum Caligula, hominibus Religione discrepantibus, exoptant unam tantum cervicem esse. Imò Regem quoq; Hæreticum à quolibet etiam privato homine impune occidi posse statuunt; Et tantus hic *ψευδαρίμων* catholicorum est consensus, ut hic pro articulo fidei habeatur. Verum nos cum istiusmodi sanguifugis aff. D. r. Siebental. loco alligato, facere nec possumus, qui tantum hastis vibrantibus, gladiis acutis, telis intensis crepere videntur, sed merito eosdem truculentia & crudelitatis damnamus, qui statim ad rotam, ad ignem, ad gladium diversæ Religionis homines trahendos opinantur. Ergò omissis ambagibus ad ipsam quæstionis decisionem accedamus. Ubi principio nemini dubium erit, quin calidis precibus toto corde, in cœlesti doctrina concordiam efflagitet; Et quilibet etiam pro officii ratione summis viribus eò annitatur: ut una eaq; vera Religio verbo Dei semper sit conformis; quam in sententiam Reges & Principes compellat Regius Psaltes: Ps. 2. v. 10. 11. 12. *Nunc ergo Reges animadvertite, Eruditionem percipite, O Judices terræ, colite Jehovah cum Reverentiâ, & exultate cum tremore, osculamini filium, ut non irascatur & pereatis in via, cum exarserit vel minimum ira ejus, beati omnes qui se recipiunt ad eum.* Deinde adstruo nullum sanctius sperari posse concordia & unitatis vinculum, quam sit vera & unanimis Religio. Verum n. verò cum hoc optare quidem, reperire autem in omni Republ. vix ac ne vix quidem liceat, juxta illud Pauli oportet esse hæreses inter nos. Cum hic lupum auribus teneamus; & inter Scyllam & Charybdim navigemus, necessum est, ut in hoc genere nauclerum imitemur, qui cum eo quo cupit progredi non possit, quo potest navim dirigit, ac sæpe velificatione mutata, procellis & tempestatibus obtemperat, ne si directum cursum tenere velit, naufragium patiat. *Adstruimus itaq; 1. non nisi unam eamq; Catholicam in Regno habendam esse Religionem, donec sine totius Reip. naufragio & maximo damno ea conservari possit. Non enim temerario ausu, admittendum erit cuivis, ut quidvis credat, sed omnibus hæresin & nova dogmata molientibus summo conatu resistendum, puraq; Resp. ab omnibus seductionum fomentis præservanda ac liberanda est. Deinde 2. Quanquam publicam aliquam diverse Religionis professionem, in statu Reipub. quieto non temerè admittamus; Si tamen fuerint privati, & sibi ipsi tranquille vivunt, nul-*



*lis occultis machinationibus à verâ Religione alios seducant, nec pacem Politicæ & Ecclesiæ disturbent spe conversionis, & causa publicæ tranquillitatis diversæ Religionis homines tolerare possumus atq; debemus, præsertim si pax in ita id concedant. Sic ab aliquibus tolerantur Judæi, dum modo quietè vivunt, quia per publicam illam cum Christianis conversationem aliquoties ab errore suo desistunt & ad cognitionem veritatis convertuntur. de quâ conversione loquitur Paulus. Rom. 11. Qui autem privati & sine malis molimentis non vivunt, sed simplices seducunt, suisque falsis imposturis populum frangunt, illi protinus fugandi sunt, potissimum sub initium susceptæ hæreseos, antequam vires colligant, & ex verâ Religione plurimos sibi associent. 3. Videndum est probè, utrum status Reip. sit liber an v. turbatus. Si enim subditi inter se sunt discrepantes, ut una pars vix alterâ superior sit. (intell. quod verâ Religionis homines viribus non superent falsæ) nec ejusdem administratio, sine cruore & totius Regni ruina pacari possit, tum præscribit nobis lex prudentiæ, ut hisce cautionibus præmoniti ex duobus malis eligamus minus; nempe: *toleranda est Religio peregrina tantisper, ne turbetur pax publica & pessundetur vera Ecclesia.* Ratio in promptu est, quia in tali casu illud minus malû non eligitur præcisè ut malum quoddam, sed ut medium utile ad majus malum evitandum, ac proinde eligitur sub ratione boni utilis. quod sentit D. Thomas In Quæst. 10. art. 11. Et confirmatur ex parabola zizaniæ quam adfert Christus Matth. 13. Ubi vult Christus significare aliquando in medio Catholicorum tolerandos esse hæreticos, præsertim cum periculum sit, ne si eradicentur, simul etiam evellantur Catholici. Deinde, si statim ad arma confugiendum, dubia esset victoria, & contingere posset, ut Hetherodoxi aliunde impetrantes auxilia, ea ratione Orthodoxos superent, & plane interficiant. Quamobrem Theodos. Major ref. Bodin. lib. 4. cap. ult. Nunquam voluit Arianos quos tamen vehementer oderat aliquibus suppliciis affligere, sed tam eis quam veræ Religionis hominibus sua templa concessit, & eorû Civitatibus duos utriusque Religionis Antistites permisit. 4. Et Ultimo natura contumax est humanus animus & in contrarium atq; arduum nitens. Seneca. Armis igitur multo magis irritantur & abalienantur dissentientes. Et fides cum sit anima quæ spiritus est, non tantum difficile est Magistratui averfos ad*

**fidem**

fidem cogere verum impossibile quia sola Divinitas interiora cognoscit, scrutatur & judicat. Magistratus autem Politicus corporibus moribus & lingvis quidem imperare potest, verum mentium Rex solus est Deus. Ut dixisse solitus est Stephanus Batori Rex Poloniae, qui dixit: *Tria reservasse sibi Deum: Ex nihilo aliquid facere; Scire futurum; dominari conscientiis.* Quamobrem hic non ferro sed verbo pugnandum est, cujus vires describit Apostolus Paulus, ad Hebr. 4. 11, hunc in modum: *Vivus est sermo Dei & Efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animae & Spiritus.* Et Armatura Dei hic requirit: *Loricam justitiae, scutum fidei, galeam salutis* Paul. ad Eph. 6. v. 11. 15. 16. 17. Hinc Tertulianus ad scapulam, *non est Religionis cogere Religionem qua sponte suscipi debet non vi. Fides enim non est Res necessitatis sed voluntatis.* Ex hisce ergo jam dictis colligimus I.º Non promiscue varias Religiones & Sectas in Rep. tolerandas esse, nisi cum Civitas ita est perturbata, ut sine totali interfectione aut sine sanguinis effusione res componi nequeat. Tum enim quiescendum ac tempora inspicienda, quibus parere omnes Politici praecipunt. Cum sit satius Rempub. qualem qualem conservare, quam eandem vehementius concutere & funditus evertere. II.º Tractavimus nonnullas rationes & auctoritates satis robustas, cur ad fidem nemo cogi, & pro ratione circumstantiarum peregrinae Religionis exercitium tolerari debeat. Nichilo tamen secius dubitationis videtur maximae: *Quomodo sint tractandi, qui errores spargunt & alios ad se perducunt, ne jugum cum Infidelibus trahere, aut errores eorum nostro consensu approbare videamur?* Nimis crudeliter agunt, qui hisce morbis rogo aliisque gravissimis suppliciis medendum censent. *Nullis bonis in Catholica Ecclesia hoc placet,* inquit August. l. 3. Contra Cresc. Gram. c. 50. *Si usque ad mortem in quemquam liceat hereticum saviatur.* Exterminandi tamen sunt paulatim tales; Neque ad corporis violationem procedendum ut probant plures, vel quod spes aliqua conversionis superesse possit, vel quia Error animi non sit ex genere Capitalium. Sed Obicias. *Vinculum Ecclesiae est unius fidei confessio, ideo dissensio in fide, Ecclesia est dissolutio?* debent igitur Principes hanc libertatem non permitttere, si suo recte per fuguntur munere; alias ubi summa Religionis & fidei est diversitas, ibi in toto Regno & civitate pax atque concordia sperari non potest. Sic apud



apud Judæos & Israëlitas, qui olim conjunctiores fuere; At postquam altare contra altare, templum contra templum erectum est, mox inexpiabili dissidio disjecti & dissociati sunt, præter illa quæ dicta sunt *Resp.* neq; absolutè nos hanc libertatem tolerare sed temporum & locorum circumstantiis eam determinasse. Magistratus autem Christianus unam duntaxat, eamque veram Religionem in corde suo fovere debet, nec quovis vento doctrinæ circumferatur, sed orthodoxæ religioni constanter adhæreat, & si vel maximè complures in regno ejus oriantur vel ortæ foveantur hæreses. Quod autem ipsam consequentiam concernit, neque illa firmo stare potest talo: diversæ namq; Religiones per se non afferunt mutationes & perturbationes Reip. nisi tum quando Magistratus suam Religionem absq; iudicio & discrimine, rejectis per vim reliquis pertinacius tuctur id quod experientia tota die confirmat. Quam primum namque liberum exercitium cuilibet ex sententia permissum fuerit, maxima ex parte pacata & tranquilla redundant omnia. Unde ejus salutaris sanctionis beneficio vidimus aliquotiens conjuges in Religione quidem dissentire, parentes & liberos diversa sacra sequi, fratres & sorores in una eademque domo in plurimis cœlestis doctrinæ capitibus discrepantes, fovere sententias; In Politicis tamen & domesticis rebus concordēs vivere; *resp. Siebenthal estato jam loco.* Concludimus itaque hanc Quæst. cum D. Meisnero; Sect. 2. Philos. sob. cap. 3. Amicitiam naturalem, conjugalem, itemq; Politicam sc. Civilem; at non moralem multo minus spiritualem inter fideles & hæreticos consistere posse ac debere.

## Quæst. Tertia.

*An Poena sint irroganda justitiâ Commutativâ,  
an Distributivâ?*

Siquidem Quæstione superiori, breviter prima Reip. ita dicta columna exposita sit, consequens est ut jam aliquid agamus de Justitia, quâ tanquam fulcro validissimo Respub. ab altera parte sustentatur ac stabilitur. Est autem Resp. sine Justitia nihil aliud quam homo sine anima, miles sine clypeo, moles sine nervis. quam si sustuleris, vitam hominum stultitiâ, scelere, & immanitate complebis. Unde quoq; meritò dici potest civitatis Domina, dextrâ tenens gladium, quo ma-

lorum scelera vindicat, sinistra suspendens lancem, quâ bonorum opera ex æquo pensat. Hæc sola est, in cuius unius pectore omnes ferè reliquæ virtutes, tam moris quam mentis non aliter quam sydera in cælo relucent. Quamobrem Eurip. olim affirmavit neq; hesperum neq; luciferum æq; magnam sui excitare admirationem, atq; ipsam Justitiam. Quippe justitia est civitatis norma, Magistratus anima, causa & fundamentum legis, quod per hanc Reges imperant & consiliarij justa decernunt. Hic solus murus est aeneus, hoc propugnaculum, hoc tutamen est. Hæc sola infirmum sustentat & lapsum erigit. quam natura ipsa peperit, experientia nutrit, sapientia deniq; multarum ætatum in folio Majestatis, ut augustissimam rerum humanarum imperatricem collocavit, quia nulla pars vitæ vacat justitiâ. Verum enim verò ne longius ab instituto progredi videamur, quoniam justitia est tacita naturæ connexio & societatis humanæ vinculum, quo firmo ac stabili omnia in civitate constant ac cohærent, quo autem dissoluto, ruunt, necessum est ut præter illam rasam tabulam, in quâ solum facies Justitiæ cernitur alia ejusdem lineamenta ac veluti membra speculemur; Unde præter hanc in genere justitiam, alia quæ distincta pars est ac species virtutis dicitur: ab Arist. in Distributivam & Commutativam dividitur. Illam definit esse virtutem, quâ unicuiq; pro merito velut Geometricè de publicis communibusq; bonis tribuitur. hanc vero esse virtutem, quâ æqualitas ac veluti Arithmetica proportio rerum inter homines sanctissimè observetur. Cæterum an in Pœnarum inflictione ratio haberi debeat Personarum & Geometrica potius quam Arithmetica proportio, Philosophi disquirere solent? Certum quidem est, & omnibus in confesso; Virtute præstantiores, plerumq; mitius quam alios puniri, mitius item integræ famæ, quam famosos, liberos quam servos, idque tum legibus approbatum, tum consuetudine receptum esse. Ne nunc dicam omnem virtutem in sola consistere mediocritate rationis, vel in mediocritate rei & rationis simul; Mediocritatem autem Rationis tum cæteras circumstantias, tum etiam Personæ conditionem includere. Quod si itaq; secundum conditionem & dignitatem personarum delicta puniuntur videtur utique id juxta proportionem Geometricam fieri, imo tota irrogatio pœnarum non ad Commutativam sed Distributivam Justitiam pertinere. Quæ ratione inductus Excell. Wesenb. quem communiter sequuntur alij Juridici, &



& multi etiam Ethici, statuit *Panas secundum Geometricam proportionem seu Distrib. Justitiam inferri debere* qui multis deinde ex jure confirmat, *unum & idem delictum, gravius in una persona plerumq; plecti quam in altera* quæ singula hic annumerare nimis fore longum, Consul. Wefemb. partit. in ff. de Justitia & jure. Verum hæc & his similia, nihil nos movent quo minus aliud statuamus videlicet pœnas esse inferendas justitia commutativa, sive secundum proportionem *Arithmeticam*. Nam cum Nob. beatæ Mem. Michaële Gyslenstâlpe. Ex Phil. Morali. Dis. vi. pag. 117. generaliter respondemus I. *Qualitates & Circumstantias facti ex quibus delicta dejudicanda, quæ ex causa, personâ, loco, tempore, quantitate, qualitate & eventu ponderantur, non hoc innuere personarum respectum habendum esse atq; sic Geometricam Proportionem servandam, sed ex Circumstantiis delicti quantitatem dejudicandam, ut pœna juxta leges Commutativa Justitiæ Arithmetica Proportione appendantur, & quantum quis deliquerit, tantum etiam pœna sustineat.* Eaq; non solummodo ex facto inferentis, sed potissimum ex qualitatibus sustinentis existimanda. II.º In specie bis contradicit. *Arist. & cum eo communis veterum Schola Ethicorum, qui non tantum pœnarum irrogationem, ad eam faciunt Justitiæ Commutativæ, sed eam non minus quam emendationem cœterorum contractuum proportionem Arithmeticâ instituendâ esse conjiciunt.* Unde Arist. utrosq; contractus tam invitos quam voluntarios, ad unam speciem justitiæ refert: *Restat, inquit, justum quod sit in emendandis commerciis, tam iis quâ sua sponte faciunt homines, tam iis quæ in visis ipsis efficiuntur.* At emendare contractus invitos, nunquid aliud sit quam delicta punire? Unde statim subicit omnia ista non Geometrica sed Arithmetica proportione fieri; *Nihil enim refert, ait. Si probus pravo detraxerit, an pravius probus, neq; si adulterium probus an pravius commiserit, sed ad differentiam nocentem si lex tantum respicit, & personis utitur & equalibus.* Nihil certè dici potuit clarius, idem cum Arist. docent Averoës. D. Thomas Cajetanus. &c. Quæ singula leges apud Cl. Hornejum in Philof. ejus morali. lib. 3. cap. 13. *Quibus rationibus facile evincimus cespitalse doctissimum Wefemb. qui alia proportione constituit pœnam in legibus, & aliam instituit executionem legum istarum.* quod patet multis modis: Cum enim executio legis nulla esse possit, nisi cum id sit



quod lex jubet, & plane eo modo quo jubet, nihil tamen minus fieri potest, quam ut rectè se habeat executio quum proportione Geometrica plectitur quod lex dicit non hac sed Arithmetica plectendum esse. Certè cum respectu personarum punire, quod lex sine eo puniendum sancit, non est id facere quod lex illa mandat, sed directè contrarium. Deindè, nemo justè punitur, nisi qui ita punitur ut lex præcipit, sed lex vult sine respectu personarum & proportione Arithmetica homines puniri. Justè E. non punitur qui cum respectu personarum & Geometrica proportione; Imò patet exinde: quorsum enim lex constituit certas pœnas certis delictis, & præcipit hoc delictum illo, istud illo modo puniri, si justum non est ita ea puniri? quorsum dicit nullum respectum habendum dignitatis in pœnarum irrogatione, si omnino habenda est cum irrogatur. III. *Nec omnia delicta quæ prima fronte videntur eadem esse, statim prorsus eadem sunt*; Expendendæ utique sunt circumstantiæ, scilicet quo ingenio sit qui fecit, quo statu quo consilio fecerit, qua voluntate; Perversitas hic multum aggravat & elevat factum. Si enim quis hominem interemit, multum refert, an ingenio sit alias crudeli & petulanti, nec ulla deinceps pœnitentiâ ducatur, sine dubio tum non ex errore, sed proæresi fecit. Quis jam dubitaret eum gravius peccare homine honesto & bene educato, qui præter intentionem, & post gravem cum affectibus luctam, feriâ mox ductus pœnitentiâ aliquid admisit. Ecquid enim tum mirum est inæquales pœnas esse, si delicta sint longe imparia, ubi namq; levius est peccatum, ibi etiam levior pœna jure meritoque esse debet. Ubi tamen ante omnia id supponendum est, non quæri hic de iis quæ nonnunquam publici boni inter sunt, ad vivum non rescari, nec de eo quod fit cum necessitati, cedendum aliquando est, aut alias Princeps ex clementia ignoscit ei quod justè punire poterat. Atque hinc est quod nobilis ignobili sine justitiæ læsione diversa, & (ut apparet) leviori pœna afficiatur. Eadem ratio est de cœteris; Unde concludimus circumstantias illas quæ factum variant minimè Arithmeticam proportionem excludere, verum cum factum ex circumstantiis dejudicandum sit, non est mirum ex Personæ, in quam delinquitur qualitate idem, aggravari aut elevari aut mitigari; Et sic propter hanc personæ circumstantiam diversam pœnam applicandam esse: Non quod hic personarum respectus, & sic Geometrica proportio servetur, sed

quod



quod illa circumstantia delictis diversitatem inducat; gravius quippe est Parentem verberare, quam peregrinum, Magistratum quam subditum, Præceptorem quam discipulum. Unde & pœnæ diversitas oritur, quæ propterea servanda venit, ut pœna delicto æquiparetur, omissio aliquo respectu *magis & minus* sed arithmetica proportione mensuretur.

## Quæst. Quarta.

*An blandè vel duriter Educandi sint*

*Liberi ?*

Circa liberorum gubernationem maximam omnium curam Parentibus adhibendam, imò longè majorem, quam circa possessiones, facile evincit Arist. *Ubi manifestum esse inquit, quod plus studij & domesticæ discipline esse debeat circa homines, quam circa possessiones inanimatorum & circa horum virtutes, quam circa possessionis virtutes, quas divitias vocamus, & circa liberos magis, quam circa servos, I. Polit. 13.* Hæc autem cura Parentum in Specie quot partibus contineatur, mei hic loci non est muneris pertractare; Educationem autem & nutritionem liberis parentes obligare, vel natura docente inde probamus: Quod cum omnibus rebus ita comparatum sit, ut incrementum inde accipiant, unde nactæ sint suum initium; Et improvidè ageret natura, si fœtus suos terris tantum ostēderet, neq; ultra esse sine ret, defectu nutrimenti ortus suos repetituros Liebenthal. Ex. Pol. c. 4. II. do Si natura cogitavit nos antequam fecit. *Sen: Utique in confesso est etiam stimulum eam superaddidisse, unde liberi à parentibus incrementum, potissimum cum eadem præexistente ab iisdem facultatem vivendi, iuxta communem relationē habeant, & certe necare videretur, qui alimenta denegaret. Unde Cicero: Neg, boni, neg, liberalis parentis, quem procreavit & eduxerit non vestire & ornare. Commune enim votum parentum est, ut liberis omnia appareant.* Imo ab Apostolo damnantur, qui necessaria liberis non præbuerint &c. verum enim verò hæc naturalis Parentum obligatio, non nisi eatenus vera videtur: si beneficio nutritionis, beneficium quoque institutionis adjecerint, h. e. non tantum ut liberi eorum sint, sed ut bene sint effecerint. Cum teste Seneca. *Minimum esset beneficium patris ma*

*opis, conentibus, nisi accederent alia, qua proficerentur, hoc inveni-  
ans muneris & aliis ratum faceret de benef. 3. 31. 2. Imò ingerente  
Xenophonte, hoc qui negligunt illi Parentes haud abfimiles sunt illis,  
qui equos multo pabulo alunt & pingues, sed interim ad bellum ineptos  
reddunt. Aut etiam, qui de calcis cogitant & pedes negligunt. vid.  
Plut. de educatione liberorum. Undè factum est ut olim in Rep. Græ-  
corū non tantum γυναικονόμος constituerentur, qui mulieres, si minus  
accuratæ forent, in fovendâ prole continerent; Sed etiam παιδονόμος  
qui puerilem observarent institutionem, graviterq; Parentes, tutores  
& magistratus plecterent, si liberos suos, pupillos, & discipulos negli-  
genter haberent. Arist. lib. 4. Polit. 15. Quamobrem ut manifesta  
evadat res, nonnullis inducimur rationibus, quibus quæstionis deci-  
sionem probabimus; Unde prolis hanc educationem & institutio-  
nem evincimus 1.º apprimè esse necessariam, siquidem, *stultitia sol-  
ligata est in corde pueri, & virga disciplina fugabit illam* Prov. 22.  
Et adolescentes κατὰ μέρος vivunt & rerum sunt imperiti; Si ergo  
fragmenta illa & minutissima rudera, quæ tamen post nostræ depra-  
vationem recidere vidimus in pueris omnibusq; hominibus educato-  
ris socordia corrumpere test. Plut. certè multum præstaret non na-  
sci, quam fieri malum inopia curatoris & custodis. 2.º *Utilem* quam  
consideramus 1. in utilitate totius familiæ si namque maritus, vxor,  
liberi, servi, malè sunt educati, in œconomiis atque familiis omnia a-  
nimadvertimus plena rixarum & tumultuum, omnium rerum est con-  
fusio & ignavia succedit profusio & incuria. tandem etiam pauper-  
ess esuries & inopia. Si v. probè sunt educati benè sese habent omnia.  
2. in *Utilitate Parentum*. Liberi namq; bene morati, parentibus  
summo sunt honori gaudio & solatio, degeneres è contra improbi,  
quod malæ est educationis maleficium, dedecori, merori & prope de-  
sperationi. Unde Syrac. c. 16. *Melius est mori sine liberis, quam re-  
dinquere filios improbos.* item natum illud Proverbium; *Qui docet  
filium suum in zelum mittit inimicum suū, & in medio amicorum glo-  
riatur in illo. Mortuus est Pater ejus & quasi non mortuus, similem e-  
um post se reliquit.* 3. In *utilitate Reipub.* Publica namq; salus &  
interitus Reipub. pendent ab honesta & vitiosa liberorum educatio-  
ne, cum talis futura sit, quales à patribus & matribus familias educā-  
tur liberi, sunt enim nihil aliud quam elementa & partes Reip. Quo-  
rum*



sum respiciens Eloquentiæ illæ Romanæ facillè Princeps in Verrem: *Qui non rectè inquit Instituunt & Erudiunt liberos, non solum iis, sed & Reipub. faciunt injuriam.* Quam ob rem tota liberorum virtus ad Rempub. debet referri Arist. circa finem 1. Polit. hæc autem fit præpostera, nequam pueri, adolescentes nequiores, & viri nequissimi evadunt, secundum illud Græcorum.

*Κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνεταί τις κακῶν.* Mali principii, malum exitus. His ergo præmissis facilior erit via progrediendi; Et cum potissimum de liberali, ingenua, recta, ac legitima liberorum institutione sermo fuerit; Quæritur itaque an blandè vel duriter à Parentibus educari possint? Parentum jus in liberos, est jus seu potestas aliqua Regia. Arist. lib. 8. Pol. c. 10. Rationem affert, quia Patria potestas in filios regni speciem repræsentat, sed regni bene constituti (hinc domus etiam habetur pro re sancta & inviolabili, & Gentibus quoque inplantatum vidimus, quemlibet esse Dominum in sua domo) præterea manifestum est inquit quod in re familiari sit monarchia, quia ab uno regitur tota domus. Quamobrem concludimus perfectam esse virtutem parentum in domo sua instar Regis in Repub. præcipere ac præsidere. Liberorum autem iisdem officia sua & observantiam instar boni civis ac subditi præbere. Afferente non solum Script. Sacra. Deut. 5. & 21. Prov. 1. 4. 6. 23. Ephes. 6. Coll. 3. Sed flagitante ipsa natura & consensu omnium bonorum *O Filia* inquit Clytemn. apud Eurip. in Elect. *natum tibi hoc in sevit, patrem tuum ut piè ames.* II. do Parentes semper in liberos potestatem, seu ut Plinius loquitur *ditionem habuerunt.* Sic in filios jus necis vitæque habebant Hebræi. Persæ. Celtæ de quibus Cæsar. imprimis autem Romani talem in liberos habuerunt potestatem, qualem nulli alii homines, quâ de re Halicarnass. lib. 2. *Romanorum* inquit *Legislator omnem potestatem patri dedit in filium, idq. toto vitæ tempore, sive in carcerem eum mittere, sive flagris cedere, sive vinctum ablegare ad opera rustica, sive necare libeat, item permisit vendere filium, & æterna venditione quarere pecuniam. Imo majorem largitus est potestatem patri in filium, quam hero in mancipium.* Verum hanc patriam potestatem in liberos partim ab aliis mitigatam, partim à Constantino sublatam esse constat jure & divino & humano. Ergò negativam amplectimur: adstruentes 1. *Vindictam privatam, nemini permissam esse.* Exod. 20. 13.



2. Decernere Deum ipsum nõ occidendos esse filios rebelles & degeneres à parentibus, sed ad iudices deducendos, neq; sine causa morti dandos Deut. 21. 19. 3. Patriam potestatem, debere in Pietate non atrocitate consistere. 4. Liberos esse partes Parentum, seu aliquid Parentum, suis autem membris neminem vim adferre debere. Quibus rationibus suffulti Parentib; plane illicitum esse concludimus temerario ausu liberos suos occidere. Et conamur evincere Parentes adolescentiæ peccata, quantum unquam fieri potest æquo animo ferre debere, aut si ab ira temperare sibi non possint, operam dare, ut ea citò deflagret; Quia Parentum animus implacabilis certum est iudicium odii erga liberos. Interim tamen præcavere, ne ex eorum sint numero, de quibus Mantuanus: *Blanda Patrum segnes facit indulgètia natos,*

Dicimus itaque III. Maximopere necessum esse, ut discernantur Ingénia Puerorum & scire sicut cujusque tulerit indoles tractentur. Sunt quidam nisi insistantur remissi, quidam indignantur, quosdam continet metus, quosdam debilitat Fab. Alii generosi & honore flagrantes alii degeneres & instar asinorum contumeliæ patientes. hos autem omnes sub unum jugum mittere, nihil est aliud quam equis asinos adungere, cum illis abstinendæ sint manus, nisi extrema petulantia aliud facere cogat, in his liberior esse potest animadversio. ut præclare differit Heid. in Syst. Poll. cap. 1. IV. Parentes suo exemplo potius liberis ad morum honestatem prælucebunt ut exinde iuniores velut in speculum vitam eorum intuentes, à dictis & factis malevolis abstineant; quam ut bestiarum more eos inhumaniter tractent. Interim ad diligentiam, modestiam & temperantiam pueros & adolescentes assuefaciant docendo, comminando, rogando, consulendo, pollicendo, & eorum exempla quibus voluptates exitio fuerint, & quibus continentiae laudem peperint ob oculos ponendo. Quæ omnia Plut. ad spem honoris & metum poenarum tanquam duo virtutis elementa revocat. *Spem honoris ad ea quæ honesta sunt adolescentem incitare. Metum autem poenarum peccandi conatus frangere & retardare sentiens.* V. parentes non omnino duri sint & austeri, sed sæpenumero aliquid delicti juvenili concedant & largiantur ætati. Plut. Ut enim medici potiones amaras dulci liquore temperant, & ita sibi per oblectationem aditum ad utilitatem pate faciunt: eundem ad modum parentes reprehensionum severitatem lenitate mitigent, & interdum



dum fræna laxent cupiditatibus liberorum, interdum eos ne liberius ferantur astringant. de qua moderatione monet nos Paulus ad Eph. 6. & Terent. Adelph. act. 1. sc. 1. *Pudore & liberalitate liberos retinere satius esse quam metu.* Et in And. act. 5. sc. 3. *Pro peccato magno paululum supplicii satis est patri.* interim cum ea nostrorum temporum sit calamitas ut plerique, non tam virtutis ac honoris amore quam formidine pœnarum & ignominie in officio suo contineantur; omnino diffitendum non est, cur negligentioribus & immorigeris pœnas comminari non liceat. ad stipulante non solum Sc. Sacra Prov. 13. 24. *Qui parcat virgæ odit filium suum, qui a. diligit eum instanter erudit.* Sc. approbantibus deinde testimoniis Patrum imprimis D. Chrysostomi: *Omnino Virgæ non esse parcendum existimanti:* Sed maxime efflagitante ipsa necessitate: nam reperiuntur multi qui tam pervicaces sunt, ut non nisi plagis meliores reddi possint. Ne itaque nimia mollities parentum liberos pessumdet, & instar simiæ catulos suos nimio complexu suffocent, nihil omnino causæ est, cur ejusmodi improbis & pravis pœnas non liceat irrogare.

## Quæst. Quinta.

### *An leges Vestiariæ ferendæ?*

Maximis corruptelis existimant nonnulli Rempub. premi, ubi plurimæ propositæ fuerint leges; quibuscum facit Plato lib. 3. de legibus: *Pessimæ inquit sunt constituta Resp. in quibus multæ sunt leges. & contrario illa Resp. florentissima & felicissima estimanda, in qua quilibet sibi est lex.* verum hisce opponimus sanum iudicium Isidori. lib. Etym. Log. *Leges inquit factæ sunt, ut earum metu humana coerceretur audacia. Ea igitur crescente, & se quasi multiplicante, rectè etiam novæ, quibus ipsi obviam iri possit, magistratui ferendæ, & secundum subditorum mores variandæ erunt leges. Crescentibus enim delictis meritò etiam exasperantur pœnæ.* Ex quâ sententia, colligimus, ejusmodi Resp. optimè statuere, quæ cuilibet suorum civium ordini certa vestimentorum genera, & eorundem certa pretia assignant, quo suos à detestanda illa vestitus luxuriâ ad moderatum habitum prudenter detineant, præsertim cum semper sit melius morbum ingredientem expellere, quam ingressum. Possent hic multi ex Electoribus & Saxonum Ducib. cœterisq; exempli loco adduci, sed angustia pagel-

læ non admittit. Inter hos tamen primas obtinent à Sereniff. Rege Sveciæ leges vestiariæ sancitæ, quibus clementer ab abominanda illa vestitus luxuria conatur subditos suos revocare; Imò etiam seriò demandat cuilibet ordini certa vestimentorum genera eorumq; pretia, addita insuper certa transgressori pœna. Sed quomodo hæ leges observentur, illud committo sententiæ Bodin. de Rep. ubi de Gallis agit, *Et rei vestiariæ luxum & sumptum inveteratâ quadam licentiâ adhuc usq; durare affirmat.* Sed revertamur ad institutum ubi illud extra omnem ponimus controversiam: Deum ordinis non confusionis esse authorem. Ut ergo voluit esse discrimina officiorû in genere humano ita quoque voluit esse discrimina vestium. Vestes namq; nihil aliud sunt, quam ejusdem corporis tegumenta, quæ simul esse debent symbolum ejus status, in quem quisq; collocatus est. Permittit quidem Deus omnibus vestem mundam & honestam, modo habita suæ conditionis ratione, quandam harmoniam observaverimus. neque id quod in alios usus Ecclesiæ videlicet Reip. aliorumq; necessariorum convertere debebamus in corporis cultum & vestium lasciviam impendamus, hoc enim Deo displicet. Cujus exemplum nobis exhibetur in divite Epulone Luc. 16. qui licet nobilitate non esset insignis purpurâ tamen quâ olim Reges incedebant, se induebat quam temerariam luxuriam non absq; causa S. Sanctus sacro codice expressam damnare voluit. Siquidem omnia quæ scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt. *Rom. 15. v. 4.* Varietatem autem Vestium quod attinet, pro varietate Gentium & Officiorum, inter alios vid. Alex. ab Alexand. hoc tantum inde observamus; Peregrinum & aliunde adscitum habitum vix tolerandum esse, sed proprium cujusq; gentis & peculiarem quantum fieri potest retinendum. Ratio est in promptu; quia *Vestes peregrinæ peregrinos mores inducunt, Reipub. exitio futuros.* Vilh. Perkinus, in Armilla aurea cap. 3. ostendit in vestium excessu plurima inesse mala quæ sunt I. *Profusio: donorum Dei*, quibus melius uti possemus ac deberemus, ex quâ deinceps incommoda oriuntur quam plurima. 2. *Argumentum magnæ levitatis*: nam ut sermo, ita & vestis est certissimum signum levis animi. Unde etiam vulgaris celebrari solet Bernh. sententia: *Qui gloriatur de veste, similis est furi, qui gloriatur de cauterio, quia vestis est signum pœnæ reatus.* 3. *Signum Otii*; quia qui in cultum corporis, mul-

tum



tum operis & temporis impendunt, plerumq; aliarum rerum sunt negligentes. 4. *Confusio ordinum & donorum*, quæ Deus vult distinguvi. 5. *Profusio opum*, sæpè namq; facit, ut homines se convertant ad malas artes ad furta & rapinas, dum nempè decus illud vestium, quo primò se ostentarunt, per fas & nefas satagunt continuare. Qua de re Lips. lib. 4. c. 2. graviter monet; ostendendo à Principe constitui debere censors rei Vestiarie, quod nisi fiat, inquit: *Ubi Juventuti familiares opes defecerunt ad flagitia & facinora incenditur, dum eadem illa que erant in abundantia libido permanet.* Imo malum malo aptissimum, & per hanc superbiam sæpius augeri vidimus, quod multi fastu & procaci sua superbia nihil aliud lucrentur, quam ut suam vel suorum detegant avaritiam, rapacitatem & alia enormia vitia; atq; unde honorem & gloriam sperarant, infamiam & ingens dedecus sibi & suis reportant. Quibus ita positis probè animadvertimus quam detestandus sit luxus vestium cum frequentissime species lascivix ex eodem appareat. Quilibet igitur pro suo statu, conditione & officio sese vestiat; Cum vestes sint ejusmodi externa symbola quibus nobiles ab ignobilib. & publicæ personæ à privatis distingui debent atque agnosci.

## Quæst. Sexta.

### *An sint fatales Imperiorum periodi?*

Novimus corpora humana ab infantix incogitantia per varios gradus ad Juvenilis ætatis ardorem, hinc ad virilem maturitatem paulatim ascendere, demum ab ista linea in senilem squalorem delabi ac præcipitari. Consimili ferè ratione; Imperia & Respublicæ, initia sua habent, demum, quædam veluti augmenta & ætatem statam, mox jussu fatorum, de fastigio sensim dilabuntur, ac in principia è quibus coaluere abeunt. Quæ cum ita sint hanc quæstionem affirmamus, & præter frequentissimam locorum ac temporum experientiam, corroboratur testimoniis tam Divinis quam prophanis. è Divinis missis aliis, testis est D. Paulus tertio edoctus cælo in actis 17. 26. Sic inquit, *fecitq; (Sc. Deus) Ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terra, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum.* è Profanis exemplum sit imperium Assyriorum

& Chaldæorum quod *caput aureum* in statua Dan. c. 2. Et arbor pro  
sra cap. 4. Et leo cum alis aquilinis cap. 7. item regnum Persa-  
rum, quod *pectus argenteum & Ursus*, cui tres ob longi dentes ex ore  
prominebant. Item Macedonum, quod *venter & lumbi aenci & par-  
dalis quatuor cum alis*. Et deniq; Romanorum, *que pedes ferrei &  
lutei & bestia insolita, ferreis cum dentibus & cornibus decem*. Hæc  
grandæva imperia si Romani paucula quædam rudera exceperis, jam  
dudum in nihilum & in pulveris habitum redacta deprehendes. Bene  
igitur Tacitus: Rebus cunctis inest quidam velut orbis. E. Ovid.  
Metam. 15. 420.

*Sic omnia verti*

*Cernimus atq; alias assumere pondera gentes  
Concidere hæc*

Inquam sententiam canit etiam Lucretius:

*Augefcunt alia gentes alia minuuntur*

*Inq; brevi spatio mutantur secla animantum.*

*Et quasi cursores vitæ lampada tradunt.*

Et Seneca: *Fati maligna perpetuaq; in omnibus rebus lex est, ut  
ad summum perducta, ad infimum velocius quidem quam ascenderunt  
relabuntur.* item Epist. 71. *Nihil mutationis periculo est excep-  
tum non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus.  
Quamvis Dea agente ducatur, non tamen semper tenebit hunc ordi-  
nem, sed illum ex hoc cursu dies aliquis dejetet.* Certiseunt cuncta  
temporibus, nasci debent, crescere, extingui. *ibid.* Quamobrem in  
ipsa generatione cunctis rebus in toto hoc terrarum orbe legem i-  
stam positam esse colligimus, ad nihilum unde prodierant recidere;  
nec hominibustantum & animalibus suam esse ætatem, sed & regnis,  
quæ tam mortalia necesse est quam eos qui fecerunt. *Lips.* Quâ de  
re etiam sapienter Cresus ad Cyrum apud Herod. l. 1. *Humanarum  
inquit Rerum instar circini est, qui rotatus semper eisdem fortunatos  
non esse finit. Quiquid enim ex imo ad summum productum cla-  
ritatis fastigium, rursus resolvitur in suum principium & ad nihilum  
redigitur.* Vid. Besold. diss. de Cur. Rep. c. 2. n. 3. *Ea quippe una  
est labes civitatibus opulentis reperta, ut magna imperia mortalia  
essent.* Livius l. 1. Unde & eleganter Polybius lib. 6. *Sicut ferro  
rubigo, ligno vermiculus agnascitur, ita cuilibet Reipub. malitia ad-  
hæret.* Cœterum quod attinet numerum annorum, is quidem certo  
defini-



defini non potest: ab eventu tamen, circa quingentesimum annum  
 plus minus mutationes imperiorum magnas accidisse ex Sacris quam  
 Profanis scriptoribus notare possumus Sc. 1. Tribus Quingentesimis  
 annis exactis à rerum principiis & supra has annis 36. adjecit Deus an-  
 nos adhuc centum & viginti spatium nimirum ad recipiscendum satis  
 longum. 2. A principio collectionis Dei, nempe vocationis Abrahami  
 ex Haran, anni sunt 435. ad egressum Israelitarum ex Egypto ad da-  
 tam legem. 3. Regnum Judaicum à Saule ad Zedechiam ultimum,  
 annis 305. floruerat. Cum autem reverteretur Judæorum gens à ca-  
 privitate Babylonica patriam incoluit annis fere totidem, usq; ad ex-  
 tremam *πικροδεδειχεν*. Plura exempla qui desiderat ablegatur à no-  
 bis ad axioma Ricteri Polit. 1 & 2. Et Bodin. 4. 1. Verum hic aliquis  
 mihi objiciat: Hanc supputationem non ita infallibiliter veram  
 esse, & quidem haud paucioribus exemplis suam assertionem quis  
 confirmaverit. Quædam enim Regna fuere quæ dimidios tantum  
 annos illos emensa sunt. Quædam autem hos annos excefferant.  
 Verum ibi in causa Deum esse quis ignorat, qui ut Respub. per grati-  
 am suam fundat, ita per iram easdem everit. Hic namque solus suo  
 decreto intervalla & tempus ad recipiscendum constituit atque pro-  
 longat, propter peccata autem nefanda eadem decurtat atq; minuit.  
 Quæ cum Deum habeant authorem, frustra itaq; cum fato pugnare  
 conamur: id est Divino decreto. *A Deo namq; sunt omnium potesta-  
 tes* ait August, *quamvis ab illo non omnium voluntates.* Quod eti-  
 am probamus Scrip. Dictis Sic Psal. 44. Tu manu tua gentes ex-  
 pulisti & plantasti ipsos, malo affecisti nationes & propagasti ipsos.  
 item Dan. 2. 21. Ipse transfert regna & constituit Reges. Et Sopho-  
 niæ 1. 12. *Scrutare minatur Propheta Jerusalem in lucernis, & vici-  
 nare super viros defixos in facibus suis, qui dicunt in cordibus: Domi-  
 num nec facere bene nec male!* Ab uno tamen & perpetuo illo bono  
 jure removemus omnia mala (Intell. malum culpæ, non malum pœ-  
 næ quod secundum justitiam suam in omnibus exercet immorigeris)  
 Quare Trismegistus c. 14. ait. *Ab ipso conditore, nihil malum aut  
 turpe existimandum est. Hec enim sunt affectiones quedam adhe-  
 rentes & comitantes ipsam generationem, sicut arugo as, & sordes  
 corpus, atq; nec aruginem fecit faber, nec sordes author produxit,  
 nec malitiam Deus.* itaque ipsi homines tanquam in parte tantum fa-  
 cto subjiciuntur, nec ullo concilio prudenti, nec remedio sagaci, di-



vine providentiæ fatalem dispositionem subverti ac reformari possunt. Sed quod Fatalis ordo præscriptus, nec ulla vis humana, nec virtus meruisse unquam potuit, quin illud fiat. Interim tamen hic merito rejicimus Fatum Stoicum illud sive Chaldaicum, quo decretam sortem nec Deum quidem effugere, fingunt; Quæ profectò absurda est sententia & cum nos Deum supra fata esse dicimus, illis magis contrariamur, quam aliquid pro re asseramus. Perinde enim est ac si ambigam; Judex ne sic super sententiam, aut illa super illum? Deinde improbamus etiam decreta superstitionis Astrologiæ Ptolomæi, aliorumq; qui astris syderumq; motibus eversionem Rerump. adscribunt. & rejiciuntur Jerem. 10. 2. Ubi divinus præco præcavet populo Dei, ne gentium more à signis cœli metuerent. tanquam vanis populorum legibus, nostra saltem gravia peccata & horrenda impietas sunt in causa, quæ Deum impellunt; quod facile evincitur: Excitio Sodomæ & Gomoræ horum, Gen. 19. Inundatione prioris mundi. Gen. 6. aliisq; script. Testimoniis. Itaq; eleganter Nicephus Grego. ubi *Divina providentia non immisceet se consiliis & actionibus hominum, malus eis exitus obvenit, & cogitationibus valde adversus, nam cum nec vir fortis fortis est, nec consultus, consultus est, sed etiam sapientissima consilia insipienter desinunt, & generosa maxime & fortia facta turpem & infamem consequuntur exitum.* lib. 7. c. 8. Quamobrem hanc quæst concludo cum Thucid. lib. 11. in Oratio Peric. *Φέρει τὴν χὼν τὰ τὴ Δαμόνια ἀναγκαίως, τὰ τὸ δὸ τὸ πλῆθει ἄνδρείως.* Ferre nos quæ divinitus immittuntur necessario debere, quæ ab hostibus viriliter. Et cum Sen. Epist. 107. 10. *Optimum esse pari quod emendare non possumus.* Et Deum quo auctore cuncta fiunt, sine murmure comitari, Malus enim miles est qui imperatorem suum gemens sequitur. Deus interim calidis precibus à nobis est compellendus, ut Paternâ suâ protectione regna defendat; Potissimum hoc nostrum imperium à periculosis & noxiis mutationibus protegat quam longissimè, & in eo verum Christianæ Religionis cultum florescere faciat; ne cœlestis illa doctrina, quæ pedum nostrorum est lucerna; extinguatur: & ne honestatis studia invertantur ac cœcetera sustentationis honestæ media turbentur, donec ruinam universalem pro divino suo beneplacito mundo inferat. Audiat & exaudiat nos Deus unus & Trinus à nobis celebrandus in secula nunquam terminanda.

SOLI DEO GLORIA.



Doctissime DN. SERLACHI, amice per dilectæ.

**B**lenno cum primum Aböam accederes, me usus es hospite. Placuerit  
mibi tunc statim tui mores, sed tamen gestibus omnibus aliis ama-  
bilior tua in pietatem ac studia sacra inclinans vita. Hanc laudabo,  
hanc fovebo, quantum in me, ac per me tuleris fata. Audio nunc rati-  
onis studiorum, Deo disponente, Tibi viam aperiri. Macte igitur vir-  
tute, ac devotionis affectum, quem ex lacte materno bibisti, justo zelo  
in Illustrissima familia capita, pignora ac mancipia prudenter effun-  
de. Siceris Deo gratus, inveniesq; qui instrumentorum vice, Te Deo  
commendabunt; ipsi amabunt, ac ut extollaris felici voce deprecia-  
bunt. Vale. Aböæ 12. Jun. 1677.

T.

PETRUS Bång

---

Natalium & liberalium studiorum laude conspicuo JUVENI,  
DN. PETRO JOHANNIS SERLACHIO Nylando,  
Egregium Exercitationis Philosophicæ specimen in publicum  
edenti, & artium humaniorum non minus ac Acad. no-  
stratis alumno maximè industrio, amico dilecto:

**D**um patriæ infensos Rex clementissimus hostes  
Arcet & in castris nocte dieq; manet,  
Quid faciant cives, merent nisi supplice voto  
Æthera, ut omnipotens Regia castra suis  
Præsidij Regemq; pium tueatur? & hostes  
Prosternat missis cœlitus auxilijs.  
Hæc petimus, vota hæcce Dei libamus ad aras  
Fulgeat ut patriæ pax benedicta piæ.  
Interea & studijs, quibus hæc Deus otia fecit,  
Invigilare bonis nostra juvenus amat.  
Hæc quoq; est excelsi Regis pia gratia, cujus  
Excubiæ Musis regnâ quieta ferunt.  
Gratulor hanc sortem patriæ doctæq; juventæ  
Cujus SERLACHI portio es egregia.  
Atq; Deum precibus devotis oro, malignos  
Hostes ut patriæ sternat & injiciat

Proentum consilijis hostilibus. Hauriat illos  
Ensis & unda. Cadat Danus iniquus inops,  
Et de foedifragis REX CAROLUS usq; triumphet  
Justitiam causæ & vindicet ipse Deus.

*Sincerâ gratulatione & pio animo,  
adplaudere volui*

MARTINUS MILTOPÆUS.

**G**Ratulor huic occasione, Frater honorande, quod liceat mihi etiam scripto testatam facere meam in te benevolentiam ac necessitudinis nostræ consuetudinem declarare. Sanè ita est conceptus ille ex pueri mutui amor, tenaciter in seram usq; senectam multa cum voluptate perseverare solet; At fraterna conjunctio tanto altius inhaeret, quanto & sanguinis vincula eos copulant connectuntq; propinquius. Quod verò & parentibus gratus fueris, acceptusq;, unice fecit, diligentia tua & honesti insignis amor, tum magnum bonarum literarum desiderium. Adeo namq; industriam tuam commendasti in Helsingforsiana schola, ut absoluto quinquennio inde dimissus sis ad Gymnasium Wiburgense, ad modum militum tyrocinia deponenda. Hinc ad hoc florentiss: Palladium ablegatus es; ubi quâ diligentia studijs invigilaveris, non meum est dicere, sed experimenta id probant tam publica quam privata: Ubi vicissim hoc presens specimen non infimas animi tui dotes exprimit, quod ejusmodi argumentum selegeris cujus commentatio multam lucem fienembitur poliori eruditioni. Itaq; ne citra modum dixisse videar, hic finiendi necessitas silentium mihi irperat. Deumq; igitur ex intimis animi recessibus veneror, velit ut hastenus studiorum tuorum fructus secundare, quò cedant in Nominis divini gloriam, in usum patriæ & omnium Tuorum Salutem. Vale & boni consule, quæ bonâ fide subtexuit

JOH. SERLACHIUS. J. F.

50 (0) 50

